

*Sacerdos signans signo crucis primum Altare,
deinde se in fronte, ore et pectore, dicit:*

✠ **Inítium sancti Evangéllii secúndum Joánnem.**

Junctis manibus prosequitur:

Joann. 1, 1-14

IN princípío erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípío apud Deum. Ómnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joáannes. Hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmíne, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmíne. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. *(Genuflectit dicens:)* **ET VERBUM CARO FACTUM EST,** *(et surgens prosequitur)* et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti a Patre plenum grátiaë et veritátis.